

**1987-06-20- SS Ioannes Paulus II - Oratio ‘Sacro Collegio Patrum Cardinalium’**

ALLOCUTIO IOANNIS PAULI PP. II SACRO COLLEGIO PATRUM CARDINALIUM  
OCCASIONE OBLATA A CONSISTORIO DE CANONIZATIONIBUS BEATORUM  
Die XX, mensis Iunius, anno MCMLXXXVII

Mariali anno, benignissimo largiente Deo, in superiore Pentecostes sollemnitate feliciter inchoato, singulari prorsus animi laetitia hoc amplissimum Patrum Cardinalium Collegium coram me congregatum aspicio; et dum gratias plurimas perquam libenter unicuique Vestrum ago de adiutrice opera, quam mihi in universa gubernanda Ecclesia consiliis et diligentie navitate praestatis, Vos, Venerabiles ac dilectissimi in Christo Fratres, iubeo in Domino plurimum salvere.

Ut probe nostis, ex antiquissimo meorum Decessorum more et huius Apostolicae Sedis institutis, adiutrix opera, quam Cardinales Supremo Pastori navant Ecclesiae, praesertim in Consistoriis ordinariis aut extraordinariis peragitur.

In hoc Consistorio ordinario, ad quod convocati estis, tria negotia sunt tractanda; sunt autem: primum, quaedam optiones ad novos titulos presbyterales; alterum, Ecclesiarum provisio; tertium, exquisitio votorum de propositis canonizationibus Beatorum qui sequuntur: Iosephi Moscati, Viri Laici; Andreeae Dung-Lac, Sacerdotis; Thomae Thien et Emmanuelis Phung, Laicorum; Hieronymi Hermosilla, Valentini Berrio Ochoa, Ordinis Fratrum Praedicatorum et Aliorum sex Episcoporum; Theophani Vénard, Sacerdotis Societatis Parisiensis missionum ad exteriores gentes et centum quinque Sociorum Martyrum Vietnamiae; necnon Laurentii Ruiz de Manila, Dominici Ibañez de Erquicia, Ordinis Fratrum Praedicatorum, Iacobi Kyushei Tomonaga, Ordinis Fratrum Praedicatorum et tredecim Sociorum, Martyrum in Iaponia; simul et Beatae Eustochiae Calafato, Virginis Clarissae: de quibus mox breviter dicetur.

Adsintr huic nostro coetui Sancti Apostoli Petrus et Paulus, columnae Ecclesiae et caelites huius almae Urbis Patroni, quorum diem natalem paulo post memoriam Christi Praecursoris proxime recolemus.

Intercedat denique pro nobis Redemptoris Mater, cui huius diei laborem committimus, a qua etiam fidentes petimus ut in hoc Mariali Anno imitantes eam, mentes et corda nostra renovemus, ac, sicut ipsa et isti Beati, cuncta e manu Patris caelestis cum fide suscipientes et voluntati divinae cooperantes (Lumen Gentium, 41), magis in dies crescere nos valeamus “ in gratia et cognitione Domini Nostri Iesu Christi ” (2 Petr. 3, 18)pro bono Ecclesiae ac totius humanitatis.

© Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana